

vase, & arteriâ, nō sanatur, quia deperdita est substantiæ spermaticæ portio, quin imò ubi ulc9 magnū, est quoq; lethale, Periculosior quoq; est Ruptio & Incisio. Et quanquā rptionem incisionemq; sanari posse scribatur s. Meth. 14. hoc tñ. intelligendum est cæteris paribus, præsertim si sit recens, & non phlegmone seu inflammatio accidat.

LONGITUDO si spectatur; hæmorrhagia sæpissimè chronicus fit affectus, per aliquot dies, septimanas, non solum perdurans, sed ad menses & plures annos, concomitantibus periculosissimis frigidis affectib. ægros miserè affligit, ut tandem vivam mortem, aut mortuam vitam trahât, inter suspiria & lachrymas. Quod experientia quotidiana ipsa testatur, & apud Autores invenire est. De naturali v. quæ per certa intervalla redit, & ex consuetudine quadam, vel necessitate accidit, longè aliter pronunciandum est, si modum servet.

MODUS EVENTUS AD SALUTEM, si neq; in quantitate, qualitate, tempore & modo, nimis excedat fluxio, tam critica & symptomatica, quàm consveta, tunc erit, proficua & salutaris. Contrarium si accidit, sæpissimè **AD MORTEM** sensibiliter patientes deducit, imprimis si morbus acutus supervenerit. In Aneurismate, sanguinis spirituosif profusio, mortem accelerat, uti Platero & Libav. videre contigit. In vulneribus item, pulsus imbecillitas, animi deliquium, partium extremarum refrigeratio, sudores, convulsiones, singultus, deliria, & c. ipsam mortem afferunt.

CURATIO, absolvitur suis **INDICATIONIBUS**, respicitq; sanguinis fluxum symptomaticum, unde **CURATORIA**, causas, unde **PRÆSERVATORIA**, vires, unde **VITALIS**. **SANGVIS**, cùm æger de vita aut sanitate periclitari possit, sistendus, ejusq; impetus retrahendus. Si aliis humorib. vitiosis sit permixtus, evacuandus est. **CAUSÆ**, sunt vel Anastomosis, quæ adstringentia, ac obturantia; vel Diapedesis, quæ condensantia, vel Diæresis, aut per ruptionem & incisionem, quæ agglutinantia, & unientia, indicant, vel Diaurosin, quæ sarcotica & renutrientia primùm, deindè consolidantia requirit. **VIRTUS**, facultatis retentricis scil. imbecilli-